



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XXXIX. Virgo apertè indicat, consecratae in re diuina hostiae,  
uerè filij sui corpus, & sanguinem inesse.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

## MIRAC. VIRG. XXXVIII.

*Dei matris aduentu cacodaemones terga uertunt; & à p̄j  
sacerdotis conspectu diuelluntur.*

**D**VM ab humanarum rerum cogitatione sacerdos abstractus, in coelum suspiciens, diuinas res meditaretur, in eius cubiculum ex templo innumeri sues irruunt. Itaq. illi pium uirum deuorare uelle uidebantur; & iam eius crura rodere coeperant. At ipse Dei matrem orare non destitit; ut se eriperet è saeuissimarum ferarum impetu. Repente ipsa illuc adcurrit; & in fugam coniecit nefarias beluas, illis nullum in eos ius esse dicens, qui sibi essent additi. Excessit è sacerdotis corde cura, ac metus; quietoq., & tranquillo animo, in coeptae meditationis exercitatione pergebat. Non dubium est igitur, quin ij, qui piè coeli reginam colunt, domitos sentiāt cacodaemonum furores. Ea. n. mansuetudine est, & clementia; ut nemo ab ipsa unquam frustra auxilium petierit.

## MIRAC. VIRG. XXXIX.

*Virgo aperitè indicat, consecratae in re diuina hostiae, uerè  
filij sui corpus, & sanguinem inesse.*

**S**acerdos, tametsi mirabili obseruantia Virginem prosequeretur, saepè tamen de sacratissima eucharistia dubitare solitus erat. Eã ob rem ipse  
Hh 2 magnum

magnum dolorem capiens, ualde etiam, atq. etiã ipsã clementiae parentem rogabat; ut dubitationem illam euelleret. Dum sacra solemniter faceret, prius quàm ad Dominicam precationem peruenisset, immaculatissima Christi hostia, quam ipse consecrarat, abiit. Quocirca timore, ac moerore percitus, in coelum suspiciens, sibi statim oblatam Dei matrem uidit, quae in sinu natum tenebat; & hanc habuit orationem. **E C C E** ille, quem Virginea alius gestauit; ecce ille, quem tu, rem diuinam faciens, consecras. Ecce ille, quem tuis manib. in sacrificijs tractare soles; & ante hominum conspectum effers. Filium meum tibi trado; hunc cape, & sacra solemniter perface. Infantem ergo sacerdos, super sacro sudariolo, quo in sacrificijs utuntur; reposuit. Cùm uerò frangenda fuit hostia; non ampliùs eam infantis imaginem habentẽ uidit, quippe quae iam in panis formã redierat. Quamobrem eius animus, qui prius labascebat, planè confirmatus est; & re ipsa, suisq. oculis apertè nouit, sacratissimae hostiae, simul atq. consecrata est, uerum Christi sanguinem, & corpus inesse.

Libri tertij & vltimi Finis.